

causam. (1) Dicendum quod passio ( loquitur de passione amoris in isto articulo ) est effectus agentis in patiente. Agens autem naturale, duplicem effectum inducit in patiente. Nam primo quidem dat formam, secundo dat motum consequentem formam; sicut generans dat corpori gravitatem, & motum consequentem ipsam: & ipsa gravitas, que est principium motus ad locum connaturalem, propter connaturalitatem, potest quodammodo dici amor naturalis. Sic etiam ipsum appetibile dat appetitum, primo quidem quamdam cooperationem ad se ipsum; que est quedam COMPLACENTIA APPETIBILIS; ex qua SEQUITUR MOTUS ad appetibile. Nam appetitivus motus circulo agit, ut dicitur in 3. de Anima: appetibile enim movet appetitum ( metaphorice ) faciens quodammodo in eo ejus inclinationem; & appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, ut ibi fit finis motus, ubi fit principium. Prima ergo immutatio appetitus ad appetibile vocatur amor: qui nihil est aliud quam complacentia appetibilis; & ex hac complacentia SEQUITUR MOTUS in appetibile, qui est desiderium &c. Patet ergo ex S. Thoma, quod complacentia non sit motus, sed illius principium, prelatum, ac rudimentum. idem docet q. 25. art. 3. Rursus colligi idem potest ex sequentibus ejus verbis. (2) Dicendum quod, sicut dictum est, bonum est causa amoris per modum objecti. Bonum autem non est objectum appetitus, nisi prout est apprehensum; & ideo amor requirit aliquam apprehensionem boni quod amatur; & propter hoc Philosophus dicit q. Ethic. quod visio corporalis est principium amoris sensitivi; & similiter contemplatio spiritualis pulchritudinis vel bonitatis, est principium amoris spiritualis. Sic igitur cognitio est causa amoris ex ratione qua & bonum, quod non potest amari nisi cognitum.

LXVII. Non solum objecti propositione, sed innumeris aliis modis Deum uti, verbis sequentibus explicat S. Thom. (3) Mutatio, inquit, voluntatis effecti non potest fieri aliquo momento per modum excitantis. Omne enim motum necesse est ad alio moveri: nec differt quidquid sit illud, quod hujusmodi variationis occasionem prebeat, quasi voluntatem excitando; sive sit admonitio hominis, vel agitatio corporis, vel aliquid hujusmodi: que omnia constant divina providentia subiecta esse, & in bonum electorum ordinata. Unde quidquid illud fuerit quod hominem excitaverit ad convertendum se, ut gratia gratum facientem accipiat, gratia gratis dante dici potest. Hæc S. Th. Consentit auctor (4) libri de vocat. gent. Gratia quidem Dei illa, inquit, in omnibus justificationibus principaliter preeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: sed etiam voluntas hominis subjungitur ei atque conjungitur; que ad hoc predictis est excitata presidis, ut divina in se cooperetur operi: de sua habens mutabilitate si desit, de gratie opinatione si proficit; que opulatio per INNUMEROS modos, sive occultos sive manifestos omnibus addibitur; & quod a multis restatur, ipsorum est negotium.

LXVIII. Nec videri debet alicui superfluum, quod Thomista defendentes necessitatem predestinationis physice ad omnem omnino actum & motum, stabiliant hujusmodi motiones morales, tum, quod hic nondum agatur de aliquo actu aut motu, sed de complacentia seu quiete, que est principium desiderii, seu motus: tum, quia homo est agens ad duplicem spectans ordinem, phy-

sicam videlicet & moralem; unde cum sit solum agens secundum, movens motum; duplex genus motionis exposcit, physicum & morale. Deutergo attingens omnia a fine usque ad finem FOR- TITER, & disponens omnia SUAVITER, utroque motionis genere utitur, ut hominem convertat in bonum. Id usque adeo verum est, ut nec in conversionibus maxime miraculosis, solet ad versa illa motionum genera prætermittere. Inter conversiones mirabiles, & que maxime commendunt potentiam Dei in humana corda, recenset S. August. (5) Assueri immutationem, de qua Esber. 15. Convertit Deus & transiit indignationem ejus in lenitatem: reflectitque Augustinus, multo majus esse, indignationem a contrario in lenitatem convertere atque transferre, quam cor, neutra affectionis preoccupatum, sed inter utranque medium in aliquid declinare: unde talis conversio, non nisi efficacissima Dei operatione fieri potuit, & tali, qua Deus; Bernardus seu potius D. Guigo Carthusiensis ut in Append. tom. 8. apud S. August. pag. 196. loquitur in Schola Claustralium cap. penult.; ut vulgo dici solet, bovem cum cornu trahis, quando non vocatus se infundit. Non tamen hic deficit motio moralis apertissima ad convertendum cor hominis voluptuosum ac carnalis, qualis Rex ille erat: eximia videlicet, & incredibilis pulchritudinis regina, roseo colore vultum persusa, gratis & nitentibus oculis. Esber. 15. v. 8. in subitum pallorem, & mortis imaginem mutata. Dum vero hæc exterius lenitatem moraliter fuaderent, Deus interius cor immutabat potenti manu sua.

LXIX. Aliud mirabilis conversionis exemplum suppeditat nobis Paulus; qui cum esset in actuali flagitio, spirans marinarum & cadis, statim quamdam perfectionem iustitiae consecutus est; sed nec hic deficit moralis externa motio, visum simul & auditum percollens & occupans, & quidem miraculose producta, ut observat S. T. 1. 2. q. 113. a. 10. c. Quam rabida, inquit S. August. (6) Pauli voluntas, quam furiosa, quam caeca! qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa, & voluntas, reflecta servitia retorqueretur & corrigetur ad fidem, repente ex Evangelii mirabili perceptorum, mirabiliorum prædicator effectus est. Mens Pauli contundenda, non palpanda; terrenda, non blande allicienda erat. Huiusmodi nihil aptius fulmine de celo, cum horribilibus tonitru fragore ruente in hominem, eumque subito allidente. Sic Saulus a concurrentibus omnibus hinc causis, ac simul Deo grandiori voce intus tonante, convertitur in Paulum. Huc referri potest illud August. (7) Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem; eademque res sepe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere desuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret; voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est? item illud S. Th. (8) Invenimus enim ordinem infallibilem esse respectu alicujus dupliciter. Uno modo inquantum una causa singularis producit effectum suum ex ordine divine providentie. Alio modo quando ex concursu causarum multarum contingit & desicere possibilibus, pervenitur ad unum effectum, quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus, loco ejus que deficit, vel ne altera deficiat. &c. hoc modo est in predestinatione &c. Patet ergo quod præter motionem illam physicam, qua voluntas a Deo primitus in actu constituitur; de qua S. Th. (9) Deus, inquit, movet voluntatem hominis sicut universalis motor, ad universale obje-

(1) 1. 2. q. 26. art. 2. c. (2) 1. 2. q. 27. art. 2. c. (3) In 1. dist. 28. art. 4. (4) Lib. 2. cap. 26. Edit. Paris. 1711. (5) De grat. Chr. cap. 24. (6) Lib. 1. ad Simpl. quest. 2. num. 22. (7) Lib. 1. ad Simpl. q. 2. n. 14. (8) Q. 6. de verit. 3. (9) 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3.

objectum voluntatis, quod est bonum: & sine hac universalis motione homo non potest aliquid velle: præter hæc, inquam, dari varii generis motiones morales, quibus homo allicitur, invitatur, suaviterque attrahitur ad hoc vel illud particulare bonum; aut absterretur a prosecutione mali: Sepiam viam tuam spiritus. Osee 2.

LXX. Duplex illud motus genus, physicum & morale, de quo huc usque, sufficere posset ad generandum in anima simplicem complacentiam objecti propositi, quam diximus quietem quandam voluntatis, ortam ex bono per intellectum eidem proposito. Sed hic non sinitur: nam ut ait S. Leo (1) Serm. 5. de quadrag. Deus ideo præceptum dat, ut excites desiderium, ET PRÆSTET AUXILIUM. Et S. Augustinus de grat. Chr. c. 10. Sed nos, inquit, eam gratiam volumus, iste, Pelagius, aliquando fateatur, que future glorie magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur: non solum revelatur Sapientia, verum etiam & amatur; nec suadet solum omne quod bonum est, verum & persuadet. Eam vero complacentia illa, licet sit quadam quietes appetitus in bono, dum adhuc tenera est, infirma, nondum appetitus plene domina; ubi tamen ex duratione firmior ac robustior evaleat, occupat ita appetitum, ut fiat in eo quasi pondus quoddam inclinans appetitum in objectum appetibile; id est, sit tandem amor perfectus, metaphoricum; id est, sit pondus, de quo Augustinus alibi: Amar meus pondus meum; eo feror quacumque feror. Porro, amor, si cum electione sit, qua unum alteri præferatur, dilectio dicitur: in qua jam auditur sonare ædus positivus: unde S. August. ut autem diligatur bonum, caritas Dei diffunditur in cordibus nostris &c. Igitur ex complacentia est amor, ex amore (2) sequitur motus ad appetibile, qui est desiderium, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 26. a. 2. Ut in hunc motum & quemlibet alium prorumpat appetitum, exigit, ut Deus prævie in ipsum appetitum influat: quia quatenusque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi movetur a Deo. Non solum autem a Deo est omnis motio, sicut a prima movente; sed etiam ab ipso est omnis formæ perfectio, sicut a primo actu. Sic ergo, juxta S. Thomam, (3) ad salvandam in Deorationem universalissimam causam, non sufficit motio illa prima physica, qua constituit voluntatem in actu, movendo illam ut universalis motor ad universale objectum voluntatis; nec sufficiunt motiones morales, que solum valent complacentiam, id est, quietem in uno præ alio, non motum producere; sed requiritur alia magis specialis, qua attingat omnem formalem perfectionem, in actu quocumque reperitam; præterim ipsam ultimam actualitatem efficiendi: que cum sit universalissimum quid, soli universalissimæ cause, Deo, ut effectus proprius ejus, correspondet: id est, requiritur prædeterminatio physica; quo nomine aliud nihil intelligimus Thomistæ, quam motionem veram ac realem, qua Deus tamquam causa prima efficit in nobis, quidquid perfectionis est; ipsam etiam ultimam actualitatem omnium operationum nostrarum: ut sic propriissime intelligatur illud Isaie: (4) Omnia opera nostra operatus es nobis Domine: Et illud Apostoli: (5) Operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate. Item (6) Operatur omnia in omnibus.

LXXI. Addendum, hanc specialem motionem conformem esse dispositioni cause secundæ, que si sit in debita dispositione, hæc etiam dispositio,

debita & bona, Deo ut Auctori adscribenda est; prout observat Eminentissimus noster S. R. E. Cardinalis Gottl. De grat. Quest. 2. Dub. 5. §. 2. n. 16. ubi ait: Secundo: congruitatem & circumstantias ad suscipiendam gratiam, Deum sua gratia facere, non supponere, docet idem Augustinus Homil. 23. inter quinquaginta bis verbis: „Adulter non fuisse in illa vita tua præterita, plena ignorantiæ, nondum illum natus, nondum bonum malumque discernens, nondum credens in eum, qui te nescientem regebat? Hoc tibi dicit Deus: Tunc regebam te mihi, servabam te mihi. Ut, aut adulterium committeres, suafor defuit: ut suafor deesset ego feci. Locus & tempus defuit: ut hæc deesset, ego feci. Ad- fuit suafor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentiret, ego feci. Agnosce ergo gratiam ejus cui debes, & quod non admisti &c. „ Si autem fuerit in prava dispositione, hæc non a Deo, sed aliunde est. Quod vero specialis illa motio conformis sit dispositioni causæ secundæ, docet S. Thomas q. 3. de malo art. 2. cujus verba, estis notissima, hic locum habeant oportet. Sic ergo ibidem Augustinus, „Mortuus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum modum ejus. . . . Cum enim aliquid est in debita DISPOSITIONE ad recipiendum motum primi moventis, sequitur actio perfecta, secundum intentionem primi moventis: sed si non sit in debita DISPOSITIONE & aptitudine ad recipiendum motum primi moventis, sequitur actio imperfecta. . . . Sic ergo dicendum, quod cum Deus sit primum principium motionis omnium, quædam sic moventur ab ipso, quod etiam se ipsa movent, sicut que habent liberum arbitrium: que si fuerint in debita dispositione & ordine debito ad recipiendam divinam motionem, sequentur bonæ actiones, que TOTALITER reducuntur in Deum sicut in causam. Si autem deficient a debito ordine, sequitur actio inordinata, que est actio peccati. Et sic, quod ibi est de actione, reducitur in Deum sicut in causam. Quod autem ibi est de inordinatione non habet Deum causam, sed liberum arbitrium.

C A P. VI. De Virtutibus Theologicis.

§. I.

Propositiones Quæstionales censura notatæ.

Nulla dantur gratie nisi per fidem. Est 26. Quæstionell. Luc. 8. v. 48. Omnia alia salutis media continentur in fide tantquam in suo germine & semine: sed hæc fides non est absque amore & fiducia. Est 52. Quæstionell. Act. 10. v. 43.

I. Pures alias hæc similes propositiones habet Quæstionellus, de quibus distinctis paragraphis duxi operatus: tum quod diversos exhibere possint sensus damnabiles: tum, ut que dicenda sunt, distincta facilius intelligantur. Hinc bigam illam propositionum considerabimus, quatenus hunc naturalem exhibent sensum, nimirum. Ante fidem, fiducia & amor ( utique tali qui omnia diligit propter Deum, quemque Deus re-

(1) Exrat T. 5. Oper. S. Aug. in app. col. 262. (2) Vid. Goudin. T. 4. phil. q. 3. a. 2. §. 1. (3) S. Th. 1. 2. q. 109. a. 1. c. (4) Cap. 26. 12. (5) Philip. 2. (6) I. Cor. 12.







te Spiritus Sancti inspiratione atque adjutorio, nihil facere possumus, quo nobis justificationis gratia conferatur, ut definit *Trid. Sess. 6. Can. 3.* Si ergo ponatur ipsa fides justificans ac peccata remittens prima gratia, manifestum est nos justificationi nostrae nullo prorsus modo cooperari; sed mere passive, more truncorum aridorum, in virentes ficulneas nos transmutari; prout in re- fuscitatione & creatione, homo mere passive se habet.

XI. Hoc significare propositiones illas Quenellii inde etiam confirmari potest, quod affectet ille, de gratiae efficacia loquens, eandem creationi, re-fuscitationi mortuorum, sanationi morborum assimilare, ut videtur est *Cap. V. §. 2. (1)* quae ita sunt Dei operationes, ut homo nullo modo eis cooperetur, sed mere passive se habeat. At vero Tridentinum *Sess. 6. can. 4.* anathema dicit afferenti liberum hominis arbitrium, in sua justificatione *nihil omnino agere, moreque passivo se habere:* quod explicans *latus cap. 5.* ejusdem Sessionis ita dicitur: *Declarat praeterea, ipsius justificationis exordium, in adultis, a Dei per Jesum Christum praeviente gratia sumendum esse: hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur; ut qui per peccata a Deo aversebant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere assentiendo & cooperando, disponantur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui illam & abjicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam, coram illo, libera sua voluntate possit.* Quibus verbis, ante justificationem, adeoque ipsam fidem justificantem, statuit gratiam quamdam praevientem & excitantem, cui homines assentiendo & cooperando, ad suam ipsorum justificationem, id est, fidei justificantis infusionem disponantur.

XII. Contra hanc apertam Tridentini doctrinam insurgere ausus est Quenellus, asserens, primam gratiam fidem ipsam esse, seu primam gratiam ita efficacem esse, ut fidem semper gignat: quod ex Calvino discere potuit, qui prior ipso hanc *Trid. doctrinam* impugnare non est veritus, in *Antidoto Com. Trid. Sess. 6. cap. 6.* sic perorans: *Dico aperte repugnare, quod hic pronuntiant Triden. Patres, cum illa Christi sententia, Quisquis audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Nam ut prudenter animadvertit Augustinus, inde sequitur, nullum a Deo audire & discere, quin simul in Christum credat; motumque Spiritus Sancti **SIC ESSE EFFICACEM, UT FIDEM SEMPER GIGNAT.** Constituant autem hoc in hominis optione, ut Dei inspirationi, si velit, assensuet. Hec nullo modo conciliari possunt. Brevius hoc dixit Quenellus, asserens: *Fides est prima gratia: Prima gratia est peccatorum remissio.*

XIII. Juxta Calvinum ergo, atque Quenellum, fides & gratia remissiva peccatorum infunduntur, etiam adultis, sine ulla praevia praeparatione. Quaecumque enim praeparatio ad illa, deberet esse ex gratia. Sed ante primam gratiam, nulla gratia datur: ergo nulla praeparatio. si fides & remissio peccatorum est prima gratia, datur ante fidem & remissionem peccatorum. Uterque autem istem rationibus & fundamentis nititur, quibus Martinus Lutherus. Hic in *resp. ad art. 36. (2)* sic philosophatur: „Scripturas audiamus. Christus dixit Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Quid est hoc nihil, quod sine Christo facit liberum arbitrium? Praeparat se, inquit, ad gratiam,

per opera moraliter bona. Sed ea Christus hic facit nihil: ergo per nihil se praeparat. Mira praeparatio quae per nihil fit! . . . Nihil ergo posse liberum arbitrium, non est, ut illi fingunt, non meritorium operari, sed & foras mitti, & arefcere. Palmes excisus non sese parat ad vitem; neque enim potest, sed longius fit a vite, & magis ac magis perit: ita & liberum arbitrium, seu impius homo. . . Gen. 6. & 8. *Sensus & cuncta cogitatio cordis humani ad malum prona omni tempore.* Obsecro, qui cunctam cogitationem cordis malam facit, idque omni tempore, quam relinquit bonam, quae praeparat ad gratiam? An malum disponit ad bonum? „Eodem fere modo dicitur Quenellus. Si enim statuas, fidem, & remissionem peccatorum esse primam gratiam; necessario sequitur, hominem nullatenus se disponere posse ad fidem, atque peccatorum remissionem: nisi velis quod se per vires naturales disponat, quod est Pelagianum. Non minus ergo Quenellus quam Lutherus, per Concilium Tridentinum, contrarium huic doctrinae statuens *Sess. 6. de justit.*, damnatus est.

XIV. Cum autem ex Sacra Scriptura constet, quosdam subito ad fidem, perfectamque justitiam fuisse a Deo conversos, ut patet in Paulo, peti posset, quid intersit, dicatur conversio semper tali modo fieri, an vero aliquando tantum? Resp. hoc interesse, quod unum sit conforme Sacrae Scripturae, aliud non. Sicut enim Scriptura refert aliquorum repentinam conversionem, absque praeparatione, quae tempore justificationem praecesserit; ita hortatur ex alia parte peccatores, ut agant fructus dignos poenitentiae, ut per orationem, jejunium, elemosynam &c. sibi Deum propitium reddere fatagant, ab eoque perfectam justificationis gratiam obtinere: quae profecto supponunt, dari a Deo gratias, ante perfectam remissionem peccatorum; sine quibus haec omnia, ad finem istum nihil prorsus valerent. Porro, ex eo quod aliquando fuerint aliqui miraculose, & subito conversi, non diminuitur sollicitudo illa, mox dicta, in hominibus, ut Deum sibi propitium reddere allaborent: ex doctrina autem Quenellii dicentis, semper hominem justificari sine praevia ejus dispositione, nascitur ignavia, hominesque facile convertuntur in fanaticos Tremblantes & Quakeros, expectantes illapsam gratiae sanctificantis, ut etiam alias dictum est: audacioribusque calcare additur, ad se in omne nequitiae genus praecipitandum. Sic, si dicatur, ut verum est, quosdam fuisse sanatos miraculose, & etiamnum aliquos sanari, etsi rarius, a morali infirmitate, nullus exinde curam abjicit sanitatis tuenda, aut recuperanda: at si persuaderi posset, omnem infirmitatem a Deo curari, sine nostra cooperatione (quod sane mirum est persuaderi non posse; ubi tam multi sibi patiuntur imponi, quod anima semper ita curetur) omnis cura salutis abjiceretur, nec vellet ullus, in infirmitate constitutus, amara sumere pharmaca, aut pati dolorosas incisiones, aut adusiones. Ita se res habet in praesenti: ut merito haec propositiones, & quia falsa sunt, Scripturaeque contrariae, & quia infinita ingerunt mala, a Summo Pontifice & Ecclesia scriptae sint: praesertim cum in iis, quos diximus, jam essent scriptae.

XV. Dimisso tantisper Quenello, videamus quid Angelus Scholae, Thomas Aquinas hac de re senserit. Querit: (3) *Utrum justificatio impii sit miraculosa?* Respondetque, esse aliquando, ut in conversione Pauli, non semper. *Tertio modo,* inquit,

inquit, in operibus miraculosis invenitur aliquid praeter solitum & consuetum ordinem causandi effectum; sicut cum aliquis infirmus sanitate perfectam assequitur subito; praeter solitum cursum sanationis, quod fit a natura vel arte: & quantum ad hoc, justificatio impii quandoque est miraculosa, & quandoque non. Est enim iste communis & consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione IMPERFECTA, ut postmodum ad perfectam deveniat: quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfecti, sicut Augustinus dicit. (1) Quandoque vero tam vehementer Deus animam movet, ut statim quandam perfectionem justitiae assequatur; sicut fuit in conversione Pauli; adhibita etiam exterior miraculosa prostratione: & ideo conversio Pauli tanquam miraculosa, in Ecclesia commemoratur celebriter. Ex quibus patet S. Thomam in ipsis etiam instantaneis & miraculosis conversionibus, requirere aliquam praeparationem, & moralem motionem, qualis fuit prostratio Pauli: hinc 1. 2. q. 109. art. 8. ait: *Necessaria est correctio; qui voluntas hominis requiritur ad hoc, quod a peccato abstinat.* Consentit Augustinus. (2) Non itaque in hominum, inquit, sed in Dei est potestate, ut habeant homines potestatem filii Dei fieri. Ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habet fidem, quae operetur per dilectionem: ad quod bonum sumendum, & tenendum, & in eo perseveranter usque in finem proficiendum, non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobis met ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, in cuius est potestate cor nostrum, & cogitationes nostrae. „Accedat quoque Concilium Tridentinum: (3) *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur; & nulla ex parte necesse esse, cum sua voluntatis motu Praeparari atque Disponi, anathema sit.*

XVI. Hac universalis Synodi sanctione, qua certo certius Quenelliana Thesis perstringitur; nequidquam obitante, Auctor *Theologiae supplicis*, emendicatis hinc & inde quibusdam verbulis, Tridentinum cum Quenello, lucem & tenebras conciliare tentat: re autem ipsa, aliud facit nihil, praeter miserum rapodium, desperatae causae argumentum. Synodus Tridentina inquit, (4) *Sess. 6. de justit. cap. 8. definit, fidem esse humane salutis initium, fundamentum, & radicem omnis justificationis: atque adeo primam esse gratiam: cum justificationis exordium in adultis a Deo per Jesum Christum praeviente gratia esse sumendum, decernat ibidem cap. 5.* Verum hoc non tam est argumentari pro Quenello, quam indigite locum, unde iustum ejus esse condemnationem evidentissime eruatur. Sufficiet solos titulos capituli 5. citati & sexti de justificatione perlegere, & statim patebit Quenellus in Lutero, contra quem ibidem praecipue agit, condemnatus: Quinti capituli titulus hic est: *De necessitate praeparationis ad justificationem in adultis, & unde sit.* Sexti vero: *Modus praeparationis.* Ecce tituli ipsi capituli praeparationem quandam, quae scilicet ex praeviente Spiritus Sancti gratia ortum ducat, ad justificationem in adultis, necessariam, manifeste docent. At vero Quenellus, fidem & remissionem peccatorum primam esse gratiam asserens, nullam hujusmodi praeparationem in adultis, admittere potest, ut ex terminis constat. Si enim ante fidem & remissionem peccatorum datur praeparatio ex praeviente

Serry Tom. V.

Spiritus S. gratia; fides remissiva peccatorum esset prima gratia & non esset: esset, uti ipse affirmat; non esset; quia alia illa, unde praeparatio originem ducit, esset prior. Hoc autem manifestam involvit contradictionem.

XVII. Negat ergo Quenellus praeparationem illam, quam Tridentinum *cap. 5. & 6.* necessariam statuit & *Can. IX.* sub anathemate admittendam esse sanxit. Quod vero *cap. 8.* asserat Trident. fidem esse humane salutis initium, fundamentum, & radicem OMNIS justificationis minime repugnat doctrinae *cap. 5. & 6. & can. 9.* quippe non eodem modo utrobique sumitur justificatione. *Capite 8.* Sumitur generalissime, prout nimirum comprehendit etiam infantium justificationem: unde notanter dicit: *OMNIS justificationis:* sumitur, inquam, ut est mutatio, seu translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae & adoptionis filiorum Dei, per secandum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum (*cap. 4.*) in qua cum remissione peccatorum, haec omnia simul insusa accipit homo per J. C. cui infertur, fidem, spem & charitatem (*cap. 7.*): non tumultuarie, sed ordine quodam; nimirum fides ordine generationis spem & charitatem praecedit, ut docet S. Thomas: (5) quam doctrinam approbans Tridentinum, decernit fidem esse justificationis, ita sumptae, initium, fundamentum & radicem. At *zero cap. 5. & sexto* expresse agit de necessitate praeparationis ad justificationem in ADULTIS: qui sicut propria voluntate peccatum contrahunt: ita propria voluntate disponi debent ad justificationem; secus infantes: loquitur, inquam, Concilium *cap. 5. & 6.* de justificatione, ut est motus quidam, completiturque praeparationes praecedentes. Sicut enim in generatione carnali, aliud est ejus fundamentum & basis, considerata in esse mutationis; aliud ejusdem exordium, si consideretur ut motus quidam, completens alterationes praecedentes; ita de regeneratione spirituali dicendum. Quidam, inquit, ita explicatur Quenellus? Resp. quia prohibuit Quenellus: non enim solum dicit, fidem esse primam gratiam, sed addit, cujuscumque virtutis & dispositionis, ad justificationem necessaria, fidem esse fundamentum. (6) En tibi verba Quenellii *Marci 16. v. 16.* *Et hic & alibi ad miraculosam valetudinis restorationem, non exigit plerumque Jesus Christus, nisi fidem.* Cum enim fides CUMQUE ALTERIUS VIRTUTIS & DISPOSITIONIS NECESSARIAE fundamentum, radix, & origo sit; hoc quoque omnes virtutes designat & involvit. Tridentinum vero, etsi c. 8. fidem asserat OMNIS justificationis, formaliter sumptae, communisque adultis & parvulis, initium, fundamentum, & radicem; agens tamen specialiter de justificatione adultorum necessaria originem habet, apertissime docet. Observanda ergo hic venit regula omnibus nota, qua instrumitur, necesse esse, ut, quae fuerit mens alicujus, vel Concilii vel auctoris, cognoscamus, ea loca inspicere, ubi ex professo, de ea, quam examinamus quaestione, non ubi incidenter: puta, occasione alicujus argumenti; tractant: argumentis enim id respondemus, quod solutioni sat est. Sic Augustinus se fecisse testatur *De Praed. SS. c. 9. Cernisne,* inquit, *me sine praedictio latens consilii Dei aliarumque causarum, hoc de praesentia Christi dicere voluisse, quod convincenda paganorum infidelium.*

R

fideli-

(1) August. Epist. 106. Gratia meretur augeri ut aucta mereatur perfecti. P. Nicolai. (2) De dono per lev. c. 8. (3) Sess. 6. can. 9. (4) Pag. 114. (5) 2. 2. qu. 4. art. 7. (6) Edit. Latin. anni 1695.

(1) Pag. 162. (2) Bul. Leonis X. (3) 1. 2. qu. 113. art. 10.



fidelitati, qui hanc objecerant quaestionem, sufficere videretur? Sic etiam facere solent boni quicumque auctores. Jam vero Tridentinum Sess. 6. c. 8. solvebat argumentum ex Apostolo, ab hereticis, ad probandum, sola nos hinc justificari, inductum: *Apostolus, inquit, dicit, justificari hominem per fidem.* Huic argumento respondet merito id dicit ab Apostolo, quia in justificatione simul infunduntur fides, spes, charitas; non tumultuarie, sed ordine quodam: ut prior sit fides, deinde spes, demum charitas: hoc sufficiebat isti argumento. An vero in adultis fidem praeceperet aliqua preparatio, non erat ibi explicandum: imo iam explicatum erat ex professo cap. 5. & 6. dictumque, necessariam esse; atque ex praeviente gratia procedere. Quaesnellus vero ex professo de dispositione ad justificationem agens, loco mox cit. *Fides, ait, cuiusquam dispositionis necessaria fundamentum, radix, & origo est: quae verba interpretationem non admittunt.*

XVIII. Adducit quoque Theol. suppl. S. Augustinum, veluti faventem Quaesnellianis, variis in locis. Primo, cap. 7. De praed. SS. ubi ait Augustinus: *Fides prima datur, ex qua impetrantur cetera, quae proprie opera nuncupantur.* Verum S. Doctor ibidem retractat errorem suum, de quo ibid. cap. 3. dixerat: *Quo praecipue testimonio (Quid habes quod non accepisti?) etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, patens fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis; & per illam nos impetrare Dei dona quibus temperanter, & iuste, & pie vivamus in hoc seculo.* Neque enim fidem putabam Dei gratia praeveneri &c. Unde solum vult, gratiam fidei priorem esse gratia operum. Quod vero fides justificans foret prima gratia, quae absque preparatione ulla infundatur a Deo, tam non docuit ibi Augustinus, ut potius oppositum manifeste stabilit. 1. Quia fatetur verbis mox relatis se errasse, dum putabat fidem Dei gratia non praeveneri: si gratia fidem praevenerit, ergo fides non est prima gratia. 2. Idem manifeste probat cap. 2. ejusdem libri: *Quis, inquit, non videat, prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cognoverit esse credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrime credendi voluntatem quadam cogitatione antevaleat, maxime illa ita sequatur, ut quasi conjunctissima committitur, NECESSÉ est tamen, ut omnia quae creduntur praevemente cogitatione credantur.* Has autem cogitationes fidem praevementes gratia adseribit. Similia sexcentis locis habet Augustinus. Sic lib. de corr. & grat. cap. 1. *Desiderare auxilium gratiae initium gratiae est, de quo ait ille.* Et dixi nunc copii, haec mutatio dexterae Excelsi. Item Ep. 103. modo 194. ad Sixtum, quam etiam nobis objicit, verbulorum auctors ille, ait Augustinus: *Fatendum est, aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans adjuvat UT SINT FIDELES: inhabitans adjuvat iam fideles.* Quibus error ille Quaesnellii omnino strangulatur. Addamus & alium insignissimum locum, quo utraque Quaesnellii assertio ab Augustino funditus evertitur. Est ex lib. de dono persever. cap. 16. in fine: *Prævenit ergo & fidem gratia; alioquin si fides eam praevenerit, proculdubio praevenerit & voluntas, quoniam fides sine voluntate non potest esse. Si autem gratia praevenerit fidem, quoniam praevenerit voluntatem, profecto praevenerit omnem obedientiam, praevenerit etiam charitatem, qua una Deo veraciter & suaviter obediatur, & haec omnia gratia, in eo cui datur, & cuius haec omnia praevenerit, operatur. Nihil expressius dici poterat ad ostendendum, nec fidem nec remissionem peccatorum, sive charitatem, esse primam gratiam.*

XIX. Haec sufficiant omnibus illis textibus, quos ex variis locis Augustini, nullo habito sensu delectu avidè corrasit: tædet enim omnes singillarim repetere & refutare, tam sunt miserabiles. Eodem modo ex S. Thoma argumentatur 1. 2. q. 113. art. 4. *Primum conversionem in Deum per fidem fieri, inquit pag. 114., S. Thomas disertissime docet. Respondeo: Legat art. 2. quaestiones praecedentes, ubi inquit S. Doctor: Utrum requiratur aliqua preparatio & dispositio ad gratiam ex parte hominis? Resp. Dicendum quod gratia dicitur dupliciter, quandoque videlicet ipsum habituale donum: quandoque autem auxilium Dei moventis animam ad bonum. Primo igitur modo accipiendae gratiam, PRÆEXIGITUR AD GRATIAM ALIQUA GRATIAE PRÆPARATIO: quia nulla forma potest esse, nisi in materia disposita. Sed si loquamur de gratia secundum quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla preparatio requiritur ex parte hominis, quasi praeveniens divinum auxilium: sed potius quacumque preparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et secundum hoc, ipse bonus motus liberi arbitrii, quo quis preparatur ad donum gratiae suscipiendum, est actus liberi arbitrii mei a Deo. Et quantum ad hoc, dicitur HOMO SE PRÆPARARE, secundum illud Prov. 16. *Homini est preparare animum.* Et est PRINCIPALITER A DEO movente liberum arbitrium. Et secundum hoc dicitur a Deo voluntas hominis preparari, & a Domino gressus hominis dirigi. Licet ergo homo prius in Deum convertatur per fidem, quam per spem & charitatem, qui est sensus loci objecti, non sequitur fidem esse primam gratiam; idque secundum D. Thomam. Haec ad longum ex S. Thoma referre placuit, quia duplex error simul jugulari: unus Lutheri, Calvini, Baii, Quaesnellii, alter Semipelagianorum, docentium ex viribus liberi arbitrii hominem sibi parare viam ad Dei gratiam. Transtulit hanc S. Thomae doctrina in canonem. Videatur Can. 1. 3. & 9. Sess. 6. Tridentini.*

XX. Pro secunda autem Quaesnellianæ Thesisi, huic §. praefixa, oppugnatione, specialiter facit cap. 6. Sess. 6. Trid. ubi de modo preparationis agit, itque enucleate describitur: *Disponuntur autem, inquit S. Concil. ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quae divinitus revelata, & promissa sunt: atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu: & dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concipiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur: fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnium justitiae fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divinae mandata &c. Huc etiam facit cap. 4. Sess. 14. ubi de attritione, eam esse Donum Dei & Spiritus S. impulsum, non adhuc quondam inhabitantis, sed tantum moventis, definitur. Similia adferre debet auctor Theol. suppl., & non unum verbulum ex cap. 8. aliud rursus ex cap. 5. antecedenti mendicare, pro causa Quaesnellianæ, infelicibus avibus susceptæ, defensione. Sed sic est, qui errores suscipiunt defendendos, naufragantibus non absumiles sunt, qui, quodcumque occurrat, avidè arripiunt, ac retinent; est etiam sit obfuturum.*

Huc

Huc quoque spectat August. dicens: (1) Sed neque ab illo quod originaliter contrahitur, neque ab his quae unusquisque in vita propria, vel intelligendo, vel nolendo intelligere, mala congregat, vel etiam instructus a lege, additamento praeviationis exaggerat, quisquam liberatur & justificatur, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: NON SOLUM remissione peccatorum, SED PRIUS ipsius inspiratione fidei & timoris Dei, IMPARTITO SALUBRITER ORATIONIS AFFECTU ET EFFECTU; donec sanet omnes languores nostros & redimat de corruptione vitam nostram; & coronet nos in misericordie & misericordiam. Quibus error Quaesnellianus fundamentum subvertitur. Ut autem unico verbo plures auctoritates, quas ex S. Augustino conglomerare solent, solvantur, seu potius explicentur, praec oculis habenda verba, quae leguntur de Praed. SS. cap. 7. Ex fide, inquit, ideo dicit, Paulus, justificari hominem, quia ipsa prima datur, ex qua impetrantur cetera, quae proprie opera nuncupantur &c. ex quibus patet fidem Augustino non esse simpliciter primam gratiam; sed respectivè tantum ad opera propria meritoria.

## §. III.

Propositio Quaesnelliana, censura notata.

Fides, usus, augmentum & premium fidei, totum est donum pure liberalitatis Dei. Est. 69. Quaesnell. Marci 9. v. 22.

XXI. Cum eodem modo hic Quaesnellus loquatur de usu, augmento, & premio fidei, ac de fide ipsa in se spectata, nulli cordato dubium esse potest, quin juxta hanc propositionem, sicut fides ipsa in nobis, sine nobis, ut mox ex Augustino dicitur, producit; ita quoque usus, augmentum, & premium fidei, in nobis sit, sine nobis. Quod quam recedat a fide catholica, nemo Theologus ignorat. Invenit tamen & hic Quaesnellus defensores suos: nimirum, Tertullianum observatum olim fuit, in lib. de Praescrip.: *Heretici apud eos multum valent, qui in fide non valent.* Paschafium nil dixisse inclamant praeter id quod SS. Augustinus & Thomas, eorumque illustris Schola inoffense docet. His proxime accedit Theologia Supplex, observationem circa praesentem propositionem ita oriens: (2) *Omnia bona nostra, merita nostra, ipsaque vita aeterna, nostris licet meritis adinstar coronae reddita, PURÆ LIBERALITATIS DEI BONA dicuntur ab Augustino, ceterisque Patribus, Ecclesia probante, confirmante, ac desinente.* An ita sit, videndum. Discuro ergo per omnes textus in ipsa adductos, sed ne unus unicuique quidem est, qui dicat, omnia bona nostra... esse PURÆ LIBERALITATIS DEI BONA, quod tamen erat probandum.

XXII. O! curas hominum, O quantum est in seibus inane. An non fuisset perfectus sensus, si dixisset: Omnia bona nostra esse Dei dona, sicut ajunt S. Augustinus epist. 103. modo 194. num. 19. Celestinus in Cap. num. 12. Trident. Sess. 6. de just. cap. 16. ab ipso citati? Quid opus erat addere: PURÆ LIBERALITATIS? Scilicet, nisi hoc addito, nihil faciebat pro Quaesnello, qui jam antea hoc addiderat; non de SS. Patribus, sed de suo; aut si mavis, de Calvino, aut Bajo, aut alio simili farsuris dogmariste. Et hoc dicit traditum a SS. Patribus, Ecclesia probante, Serry Tom. V.

(1) Epist. 103. mod. 194. num. 30. (2) Pag. 116. (3) Sess. 6. can. 32. (4) Epist. 4. (5) Epist. ad Roman. (6) Lib. 4. Stromat. (7) Lib. adversus hereses. (8) In Scorpiaco cap. 6. (9) Lib. de unit. Eccles. (10) Lib. 6. in Matth. (11) Serm. de cultu Monach. (12) Rom. 4. de Lazaro.

confirmante, ac desinente? Quid ad haec dicam? Modestissime dico cum Tridentino. (3) *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera, ITA esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, [ergo non PURÆ liberalitatis dona] aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus vitam membrum est, fiunt, non VERE mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, & ipsius vitae aeternae [si tamen in gratia decesserit] consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, Anathema sit.* Si opera nostra vere merentur augmentum gratiae, vitam aeternam, & ipsius vitae aeternae consecutionem, ac gloriae augmentum: sequitur manifeste, haec non esse dona pure liberalitatis, ut vult Quaesnellus, sed debitam etiam mercedem.

XXIII. Necessè haud est ex Scriptura ostendere opera nostra esse meritoria: infinita quae suppetunt testimonia hujus veritatis sat obvia sunt. Videndum solum, ne quilibet ad suam ea interpretetur sententiam, qualiter SS. PP. ea intellexerint. Ex primo Ecclesiae Saeculo occurrit Clemens Rom. (4) *Audiri, inquit, a Deo MERMUR, si orationes ipse moribus & bonis operibus adjuvantur.* (5) Item S. Ignatius Sinitae ut beatiarum esca sim, per quas Deum possim PROMERERI. Circa secundum Saeculum adest Clemens Alexandrinus: (6) *Deus omnibus omnia distribuit pro meritis, cum iusta sit dispensatio & Oeconomia.* (7) S. Irenaeus: *Proxiomus, ait, arbitrum coronam, quae per agorem nobis acquiritur.* (8) Ex tertio Saeculo habemus Tertullianum: *Quomodo, inquit, multa mansiones apud Patrem, nisi pro varietate meritorum? S. Cyprianus: (9) Justitia opus est, ut promereri quis possit Deum judicem: praecipis ejus & monitis obtemperandum esse, ut accipiant merita nostra mercedem.* (10) Circa 4. Saeculum aditipulari S. Hilarius: *Regnum Dei vitae nostrae stipendium queramus: & haec recte persequere vivendum merces est.* D. Basilii: (11) *Custodiendum mandata ejus retributio multa: merces nimirum illa copiosa est, & corona justitiae.* Quinto Saeculo Augustinus suffragatur, cujus innumera adduci possent testimonia: sufficiat in praesenti illud in Psal. 83. *Deus indulgentiae largitor coronam debitor, indulgentiam tribuit ut Pater, coronam ut Juxta.* Quid clarius? Sed de Augustino mox plura. (12) *Accedat & Chrysostomus: Si justus est (Deus) bis & illis reddat pro meritis, & hoc in CONFESSO EST.* Quid ceteros sublequentium saeculorum Patres commemorem? ad omnes enim eorum auctoritates putabit fieri satis, si negetur Quaesnellus merita: omne operibus nostris denegasse: id ergo, ubi ostensum fuerit, nihil est quod ultra hiseri possit.

XXIV. Hoc perquam facile est ostendere, ex tenore & verbis ipsius damnatae Thesisi: *Fides, inquit, usus, augmentum &c. totum est donum pure liberalitatis Dei. Pure, inquit, inquit, ergo omne excludit meritum, ab operibus nostris, alias purum non habemus donum, sed mercede mixtum.* Deinde: si ego ita dicerem: *Homini & Jumentum idem est interitus, & aqua utriusque conditio &c. Nonne convinceret asserere, aut jumentum aequè post mortem supersere quoad animam: vel hominem aequè desinare, etiam quoad animam, vel jumentum? Non negabis, puto, unum aut alterum necessario hinc inferri: Sic ergo contra Quaesnellum: Eodem modo sunt Dei dona usus, augmentum & premium fidei, uti fides ipsa: aut ergo admittis ea omnia pura esse dona Dei, nihil*

Rr 2



hil. in claudencia mercedis; & habeo intentum: aut dicit omnia illa, dempto nullo, sic esse dona, ut simul sint merces pro merito: at tunc fidem dari ex meritis fatebere, nec evades damnationem. Comprehendit ergo Deus altitudo in altitudo sua, dum permittit, ut iis quae dona sunt & praemia, adungeret aliud, fidem nempe, quod purum Dei Donum est; ut sic omnis effugit via oclusa, de errore certius constaret, pateretque juxta Quenellum non magis nos mereri augmentum fidei, & praemium, quam fidem ipsam: vel econtra, nos etiam fidem ipsam mereri.

XXV. Quod si institutum argumentum ulterius promovere velimus, non erit difficile ostendere, sensum hujus propositionis esse, quod in usu augmentoque fidei, homo non agat sed patiatur, usum, augmentumque fidei a Deo recipiendo. Enimvero fides ceteraque infusae virtutes non active ab homine, sed passive in homine fiunt. Virtus, inquit Augustinus, est bona qualitas mentis. . . . quam Deus in nobis sine nobis operatur: quod de virtutibus infusis intelligit Angelicus 1. 2. qu. 55. art. 4. & qu. 63. art. 2. c. Item Epist. 105. modo 194. ait Hipponensis num. 9., Opera quippe bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, sine qua illa a nullo fiunt homine: Itaque si eadem est ratio augmenti & usus fidei, quae ipsius in se spectatae fidei est; ut vult damnata Theosis; sequitur usum fidei, ejusque augmentum, fieri in nobis sine nobis: fieri in homine, non ab homine; bonaque opera nostra non esse fidei agenda causa; contra can. 24. sess. 6. Trid. Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera: sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius agenda causam, anathema sit.

XXXVI. Ut me clarius explicem, observari velim, ad hoc, ut quisquam se probe a Luthero ac Calvino discernat in hac parte, non sufficere si dicantur merita nostra & opera bona esse actiones hominis, sicutque ab homine, quocumque modo, etsi per modum puri instrumenti: hoc enim nec heretici illi negarunt. Id egregie explicat noster P. M. van Bilsen Theol. 3. pag. 39. ubi relatis iis Calvinii verbis: Illud ergo toties a Chrysolomo repetitum repudiari necesse est, quem trahit, volentem trahit: & medium quem Saphishe imaginatur motum, cui obsequi, vel quem repellere liberum est, aperte excludi videmus, subjungit: Negat ergo Haereticus nos prius in actu constitui per gratiam, quam Deus in nobis sine nobis operatur, unde postea ex nobis procedamus ad actum alium, per quem nos ipsos applicamus & movemus libere, Deo operanti cooperamur, eique subordinati non tantum nos ipsi, sed etiam nos ipsos agimus & impellimus ad actum secundum, tertium & sequentes. Unde & ad sophistarum officinas eos amandat, qui in hoc rerum statu, plus quam solo nomine distinguunt gratiam operationis; qui actus volunt, non in nobis tantum effectos, sed ita a nobis ortos, ut priores posteriorum vera causa sint, & saltem secunda a se agendi partes relinquuntur homini. Sed quidquid usquam bonorum actuum in nobis invenitur, ita hominis esse dicit, ut non sint ab homine, qui nunquam ita movetur, ut se etiam moveat; & ita merum instrumentum manet in manu Dei, ut nequidem in causam principalem secundam, & Deo subordinatam usquam evadat. Huc usque Norbertus noster. Idem illud omnino hic docens Quenellus, a Calvino non recedit.

XXVII. Sed faterer Theologia Supplex, (1) Theism hanc, de pura liberalitatis dona intellectam, cooperationem humanam, ac meritum ex ea cooperationis questum excludente, qui Calvinianus est error, damnabilem esse: at si de PURAE LIBERALITATIS DONO, humanam cooperationem ac meritum ex ipsa Dei gratia profectum importante & coronante, intelligatur; catholicam veritatem, olim contra Pelagianorum reliquias definitam, esse asserit. Sed, potestne aliquid esse donum PURAE liberalitatis Dei, & tamen non excludere meritum? Imo hoc tam potest esse, quam PURUM valeat inveniri aurum, quod non excludat omnem aliam admixtionem. Unde in capitulis epistolae Caesertini annexis, & in Tridentino Sess. 6. de Justif. cap. 16. merita nostra dicuntur quidem Dei Dona, sed nullibi lego, esse PURAE LIBERALITATIS DONA. Quin potius Augustinus, teste S. Thoma, Caritas, ait, meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici: ex quo inferit S. Thomas: (2) Ergo augmentum charitatis vel gratiae cadit sub merito condigni: quod articulo 3. ostenderit etiam de gloria, seu vita aeterna. (3)

XXVIII. Objicit Auctor Theol. Suppl. pag. 117. ex capitulis epistolae Caesertini annexis num. 12. sed mutilum. Si enim idergetur legatur, luce clarius apparebit, & hic Quenellianum Theism praedamnatam esse. Sic ergo habet numerus illarum duodecim. „ His ergo ecclesiasticis regulis, & ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino conformati sumus, ut omnium bonorum affectum, atque operum, omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei attenditur, Deum proficemur auctorem; & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit ut aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo utique auxilio & munere Dei non auctorem liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente fit providum. Hic incipit Theolog. Supplex. Tanta est enim erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona; & pro his quae largitus est, aeterna praemia sit donaturus. (Sequentia omittit) Agit quippe in nobis, ut quod vult & velimus, & agamus; nec otiosa esse in nobis patitur, quae exercenda, non negligenda donavit: ut & nos cooperatores sumus gratiae Dei &c. Vides ibi studia nostra, liberum arbitrium sanatum commendari: dona Dei exercenda a nobis esse &c., quae omnia e diametro principis Quenelli repugnant: secundum quem usus, augmentum & praemium habitum supernaturalium, sunt dona purae liberalitatis Dei: quam proinde expectare debemus; quiescereque a studio, conatu, diligentia exercendi dona Dei, eaque augendi, contra Dominicum praecceptum: Negotiis dum venio &c. Luc. 19.

XXIX. Non est autem omnino praetereundum quod habet Auctor ille pag. 117. in fine: Adhuc sensum, inquit, & hac ipsa ratione (quod NON NISI per gratiam, & ex vi gratiae sumus homo praesertim assensum, Deoque cooperetur) totum Dei esse, totumque Deo, ejusque gratiae ascribendum, saepius asserit Augustinus, ac maxime in Enchiridion ad Laurentium cap. 32. Quo sensu Augustinus dicit, totum Deo ascribendum, explicat ipse loco citato dicens: Restat, ut propterea recte dictum intelligatur: non volentis, neque currentis, sed miserentis est. Deum ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & preparat adjuvandam, & adjuvat pre-

preparatam. Praecedat enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia. Quae autem non praecedat ipsa, in eis est ipsa. At vero, dicere, quod totum Deo sit ascribendum, quia non nisi per gratiam & ex vi gratiae, id est, non ex propria etiam determinatione ipsius voluntatis, ut secundi liberi, homo praeter assensum, non tam Augustinianum est, quam Quenellianum, imo Calvinianum ac Lutherianum: contra quod specificae militat aurea illa S. Th. sententia: (1) Etiam res naturales hoc consequuntur, per proprios motus & operationes, ad quod a Deo sunt ordinatae: differenter tamen; quia creatura rationalis, se ipsam movet ad agendum, per liberum arbitrium: unde sua actio habet rationem meriti; quod non est in aliis creaturis. Ex quibus manifestum fit, non sufficere ad opus meritorium ut homo qualitercumque apponat suum assensum adjungatque operationem suam concursui divino: alias res etiam naturales meritorie operarentur: sed requiri ut per liberum arbitrium, id est, cum libero judicio de agendo vel non agendo, uti loquitur S. Th., (2) se ipse moveat & determetur, & quidem in sua linea principaliter ad cooperandum Deo. Principaliter, inquam, & est S. Th. (3) Dicendum, quod causa prima dicitur principaliter simpliciter loquendo, propter hoc, quod magis insit in effectu: sed causa secunda secundum quid principalis est; in quantum effectus ei magis conformantur. Unde dicit debet, prout S. Thomas in quarto illo argumento insinuat, & in solutione admittit, quod mens humana sit causa (secunda) principalis sui actus; Deus autem sicut remota: & hoc non impedit mentis libertatem. Haec necessario praeculis semper sunt habenda, ut catholica doctrina Thomistarum, discernatur ab heretica Lutheri, Calvinii, Jansenii, Quenelli &c. Idem docet Auctor libri De vocat. gentium cap. 20. Gratia Dei, inquit, in omnibus justificationibus principaliter praeminet: sed etiam voluntas hominis subjungitur, atque conjungitur, quae ad hoc est praedictis excitata praesidiis, ut divino in se cooperetur operi &c. Certe cooperari alteri, causa est principalis, non instrumenti meri. Idem confirmant dicta num. 26.

## §. I V.

Propositio Quenelliana, censura notata.

Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sine hoc nihil nisi impunitas, nihil nisi indignitas est. Est 42. Quenell. Act. II. v. 9.

XXX. Duas habet haec propositio partes, quarum primam fidei dogma esse, praecedit auctor (4) Theologiae Supplicis, dudum ab Ecclesia contra Pelagianos illorumque reliquias definitum. Existimat ille, priorem illam partem aliud significare nihil, quam Fidem illiusque etiam initium esse ex gratia. Et quidem libens faterer, propositionem, si solitarie spectanda foret, hunc posse induere sensum. At non ita est: considerata venit propositio ut existens in libro Quenelli, ut connexa aliis propositionibus, ut prolata cum aliis multis, unum in finem collimantibus, ceterisque omnibus suis circumstantiis: ac tum verus illius sensus determinandus. Hoc qui negaret, non postremam bonae criticae regulam subverteret. Nunquid enim catholicam, ac ad fidei dogma spectantem dicemus propositionem hanc: Sola Deo honor & glo-

ria, ubicumque demum, aut in quocumque auctore reperitur? Quid si reperitur in libro Augustini ex illis hereticis, qui, Augustino teste, (5) solem istum, qui ortu & occasu peragis diem, Dominum Christum esse delirant? Attendamus ergo oportet, propositionem illam a Quenello scriptam, eamque extare in libro Reflexionum Moralium; in quo cetera inter, non nisi gratia necessitans, omnem semper, ad quem datur, effectum habens; primam gratiam, ceterarumque fontem, fidem esse, spe ac charitate sociatam, admittitur, inculcatur, docetur; & intelligemus hac prima propositionis parte hoc intendi, nimirum: Nullum aptum esse, sufficientem esse, capacem esse ad sacrificium fidei, nisi qui actualiter fidem, spem & charitatem habeat: sicque haec etiam prima propositionis pars, eodem veneno infecta est, quo plures alias de gratia propositiones infectas esse, saepissime est demonstratum: tantum abest ut fidei dogma sit.

XXXI. Dixi, nisi fidem, spem & charitatem habeat: constat namque ex §. I. hujus capituli, fidem, cum amore & fiducia esse semen & germen omnium salutis mediatorum, adeoque, & sacrificii fidei juxta Quenellum. Praeterea sacrificium fidei, involvit ejusdem fidei actum & operationem: non potest proinde quisquam aptus esse ad memoratum sacrificium, absque charitate; quia fides ipsa, juxta propositionem quinquagesimam primam, non operatur, nisi per charitatem. Ecce ergo omnes peccatores, infideles sint an fideles, exclusi, & a sacrificio fidei, & ab aptitudine ad illud.

XXXII. Veniamus ad secundam propositionis partem, cujus varios sensus accurate Theologiae Supplicis Auctor (6) distinxit. Vel enim de indignitate hominis sine fide operantis; vel de indignitate & impuritate operum, sine fide effictorum accipitur. Si primum, existimat dictus auctor partem illam esse certissimam. Qui enim, inquit, sine fide, bona qualiacumque exercit opera, intra moris ordinem, non idcirco purus evadat, nec Deo sit dignus. Quid tum postea? An hoc amisso, prout admittunt omnes catholici, homo ille, nihil est nisi impunitas, nihil nisi indignitas? An haec propositio secunda pars certissima est? Immo certissime falsa est; quod sic probe: Suppose hominem quempiam peccasse contra charitatem tantum. Homo ille, in principis Quenelli, est ineptus ad sacrificium fidei, quae non nisi per charitatem, ut asserit ipse, operatur. Peto an homo ille non sit nisi impunitas, nihil indignitas? Vel remanent illo in homine habitus fidei & spei, vel non? Si dicas non remanere, impingis in canonem 28. sess. 6. Tridentini, qui sic sonat: Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti: aut fidem quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit vera; aut eam, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit. Si dicis fidem quidem remanere ac spem; at non esse, sine charitate, nisi indignitatem, nihil nisi impunitatem, eundem non evadit anathema, ut constat ex secunda parte canonis relati: Aut fidem quae remanet, non esse veram fidem: si enim impunitas est, si indignitas est fides, quae remanet, amissa charitate, vera fides non est, nec donum Spiritus Sancti: quod sub anathemate vetitum est asserere. Deinde, nonne in illo homine manent plurima dona naturalia? An illa seipsas, sine gratia, non sunt nisi impunitas, nihil nisi indignitas? Erunt ergo seipsas noxia ac perniciosa, quod negat, & bene, idem.

(1) Pag. 118. (2) L. 2. qu. 114. art. 8. (3) L. 2. qu. 114. art. 1. c.

(1) Q. 24. de verit. art. 2. (2) Loc. cit. ad 4. (3) Pag. 121. (4) Tract. 34 in Joan. num. 2. (5) Loc. cit. (6) Pag. 193.



idem Auctor. Certissime ergo erravit ille, dum secundam illam propositionem partem, in primo sensu acceptam, de indignitate hominis sine fide, modo Quaesnelliano intellecta, operantis, certissimam dixit.

XXXIII. Sed sumamus eandem partem secundam, in secundo sensu, de indignitate operum, eorumque impuritate, quae sunt in statu peccati mortalis cujuscumque. Sic rursus, inquit idem Auctor, geminum sensum habet. Si enim negati-ve, ut scbola loquitur, ea impura & indigna dicantur, quod eam non habeant puritatem & bonitatem, qua Deo digna sint; vera est propositio. Si autem positive impura & indigna dicantur, quod peccata sint veri nominis, Deo exosa, penamque promerita; sic sane damnanda assertio est, immo jamdiu in Bajo damnata. At hoc est Quaesnellum damnare, immo pridem damnatum esse, antequam nasceretur, agnoscere. Siquidem, evidentissimum fit, quod non hanc solum dignitatem neget operibus istis Quaesnelliana, secundum quam Deo digna sint, sed omnem profus, etiam moralem. Nihil, inquit, nisi impuritas, nihil nisi indignitas est. Quin & sunt, in istis principis, veri nominis peccata, adeoque positive indigna; quod olim in Bajo damnatum fateretur Theologia supplex. Vis hoc ultimum probem? Junge huic propositioni frequentem, ordine quadragesimam quartam: Obedientia legis profuturo debet ex fonte, & hic fons est caritas. Quando amor Dei est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocritis & falsa justitia: adde & quadragesimam quintam; Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis cupiditas regnet, omnesque actiones ejus corruptas. Viden qualiter Quaesnellio omnes actiones peccatoris sint impuritas positiva? Et post haec omnia, idem auctor, vir sane, ut apparet ex ipso libello infelici, non mediocriter eruditus, petit declarari, quid tandem in illa sit propositione damnatum?

§. V.

Propositio Quaesnelliana, censura notata.

Fides justificat quando operatur: sed ipsa non operatur nisi per charitatem. Est 51. Quaesnell. Act. 13. v. 39.

XXXIV. Vatis haec propositio Ecclesiae definitionibus sese opponit, contradicitque Tridentino (1) sess. 6. cap. 6. inter dispositiones precedentes justificationem infidelis, etiam tempore, actum fidei recententi. Disponentur autem, ait, ad ipsam justitiam, dum excitati & adjuti divina gratia, fidem ex auditu concipientes, libere movemur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata & promissa sunt &c. Ecce actum fidei, sine charitate. (2) Sess. 14. cap. 4. loquens de justificatione fidelium, asserit eos per attritionem quae, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gebennae & poenarum metu, utique supernaturali, & ex fide profecto, communitur concipitur, disponi ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam. At juxta hanc Thesim, fides justificat quando operatur: vel ergo attritio illa non est ex fide: aut si est, justificat ante Sacramenti susceptionem. Uterius: ille, cujus fides nihil operatur, non ducit vitam dignam filio Dei & membro Christi, sicque cessat habere Deum pro patre, & Christum pro capite (est 77. Quaesnell.) igitur si fides non

operatur nisi per charitatem, peccatores charitate vacui, quorum fides otiosa est, deserunt Deum habere pro Patre & Christum pro capite, quomodo ergo erunt Christiani? maxime, cum juxta prop. 78. Separatur quis a populo electo... tam non vivendo secundum evangelium, quam non credendo evangelio? Declaratur ergo de canone 28. sess. 6. Trid. Si quis dixerit amissa... aut cum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.

XXXV. Sed absit hoc. Deleatur potius & oblivioni profus tradatur Quaesnelliana Thesis. Accedat quoque Alexandri VIII. constitutio, damnans hanc ordine 12. prop. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: & etiam si videantur credere, non est fides divina, sed humana. Quam similis est haec Quaesnelliana, quae est pra manibus? Apparet gemellae. Erro. Propositio ab Alexandro VIII. perfricta de magis agit peccatores: Quaesnelliana de quibuscumque. Prior admittit aliquid operis fidei apparentis, etiam si, inquit, videantur credere: Quaesnelliana absolute negat fidem operari sine charitate. Differunt ergo Theses illae; sed ita, ut Quaesnelliana, etiam damnabilior videatur, & fit.

XXXVI. Auctor Theol. suppl. vir admodum ingeniosus (utinam talenta sua, operas, patriocinium meliori consecrasset causa!) de prima propositionis parte ait: (3) Extra dubium est: Fides enim sine operibus mortua est. Scilicet! Idem hoc valet, ac si, damnata hac Thesis: Homo qui respicit est sanus, diceret aliquis: Extra dubium est: quia homo sine respiratione mortuus est. An taliter respondens justificasset illam positionem? Apage nugas. De secunda parte, fateretur erroneam esse, si fic intelligatur, quasi nullus sit fidei actus proprius. Suum enim unaquaque virtus propriam aliquam actionem habet. Haecenus bene: nam & Apostolus montium translationem fidei, caritate destituta adseribit, dicens: (4) Si habueris omnem fidem, ita ut montes transferas, caritatem autem non habueris, nihil sum. Quod intelligendum non esse, ut illud Apostoli; (5) Sed licet nos, aut Angelus de celo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit: Non, inquam, eodem sensu illud primum intelligendum esse, inde constat, quod non solum D. Thomas, sed Theologi omnes fateantur, improbos miracula posse facere: & ex historiis habemus etiam haereticos aliquos, est non in confirmationem haereticorum, miracula fecisse: de quo videndus Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. 3. Bene ergo admittit positionem, quatenus negaret omnem actum fidei, erroneam esse. At pessime dubitat an Clemens hoc damnaverit; an vero; quod fides non justificet nisi per charitatem. Quid hoc aliud est quam dubitare, erraverint in fide Clemens XI. & Ecclesia Romana particularis, in Concilio adunata sub Benedicto XIII. Ord. Praedicatorum, Constitutionem Clementis, suae regulam fidei agnoscens; imo Ecclesia universa eidem adherens? Jure longe majori dicere nunc id possumus, ac repetere, quod olim Hieronymus, adversus oculumantes suas translationes dicebat: (6) Quae enim audientis vel legentis utilitas est, nos laborando sudare, & alios derivando laborare? dolere sudare, (haereticos) quod calumniandi eis, & irridendi Christianos, sit ablata occasio, & Ecclesia homines id despiciere, immo lacrarum, unde adversarii torquentur? Absit quod Ecclesia universa erraverit. Absit ab omni Christiano-Catholico hoc vel suspicari. Errorem damnavit Clemens in hac propositione; eumque non unum; non fidei veritatem.

XXXVII.

XXXVII. Et nonne Quaesnelliana Thesis, fat aperte, omnem actum fidei, in se spectatam, eripit? Non nisi per charitatem operatur; inquit: atqui hoc falsum est, si vel unicum actum habet fides sine caritate? sicut ergo ille qui diceret hoc verum esse: Fides aliquem actum habet, sine caritate eo ipso dicit falsum esse, quod non nisi per charitatem operetur; ita qui hoc affirmat verum, dicit falsum esse, quod vel unicum actum habeat sine caritate; adeoque omnem actum fidei eripit. Hoc autem erroneum esse, adversarius ipse fateretur. (1) Et quidni fateretur, cum Scriptura Sacra id apertissime damnet: (2) Crediderunt Nivivite in Deum, & praedixerunt jejunium, & vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. Et pervenit verbum ad Regem Nivive: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum a se, & indutus est sacco; & sedit in cinere, & clamavit & dixit... homines & jumenta... non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant. Et operantur saccis homines & jumenta, & clamant ad Dominum in fortitudine; & convertatur vir a via sua mala, & ab iniquitate, quae est in manibus eorum. Quis scit si convertatur? & ignoscat Deus &c. Ecce fidei sine caritate, actum non unum.

XXXVIII. Sed non hic solus error latet in ista damnata: latet hic, si bene video, & Bajano nescio quid. Fides, inquit Paschalis, justificat quando operatur: ergo dum peccatores operibus quibusdam insistant, solum ut mandatis Dei pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, & fornicatione abstinere, justificantur? (3) Ignorantur justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum justitia, non autem in gratia aliqua anima infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiore hominem renovatur, ac divinae naturae confors efficiatur; ut sic per spiritum Sanctum renovatus deinceps bene vivat, & Dei mandatis obedire possit? quae est 42. Bajana. Negabit forte hunc esse sensum naturalem hujus propositionis. At negare haud poteris hunc sensum facile occurrere ei, qui consideraverit & attenderit, quo auctore in lucem Thesis haec prodierit: nimirum, viro Bajano fuligine tincto, veneno saturo. Nec quemquam moveat quod Quaesnellus fidei adjungat charitatem ad justificationem obtinendam; sicque videatur & comprehendisse gratiam aliquam homini infusam: id minime sequitur, nam & Bajus charitatem buccinabat, & tamen negavit, ut vidimus, gratiam animae infusam. Si cuiquam haec paradoxa videantur, meminerit Paschalem lingua ignota ceteris fidelibus, & peregrina uti. Hinc lamentatio illa: Veritates eo deemerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis. Est initium propositionis nonagesimae quintae. Nemo ergo putet vulgarem quemdam conceptum latere sub his propositionibus; singularis est, peregrinus est.

§. VI.

Propositio Quaesnelliana, censura notata.

Totum deest peccatori, quando ei deest spes: & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. Est 57. Quaesnell. Mart. 27. v. 5.

XXXIX. Oleum & operam perdidit Auctor Theol. supplicis, dum primam hujus propositionis partem; (4) quae, inquit, prima quidem facie spectata est male sonat, & in errorem ducit; cona-

tus est emaculare & mangonizare; eam ad mortalem, ut ajunt, & asceticum sensum inflectendo quo cuncta illi deesse dicuntur; inquit: atqui hoc solum sensu asserit Quaesnellus totum deesse peccatori, quando ei deest spes; sed absolute: ita ut, si Quaesnello credimus, omnia omnino salutis media desint peccatori, quando ei deest spes. Hoc ut probetur, solum repetenda venit propositio 52. Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in sua germine & semine: sed hac fides non est absque amore & fiducia. Ponamus nunc, juxta propositionem 57., deesse peccatori spem, idest fiduciam, tum deest illi usque ad ipsum germen & semen mediolorum salutis, sicque omnia profus salutis media. Deinde, cum spes sit prior caritate, illiusque veluti fundamentum, caritas reperiri nequit, ubi desideratur spes; sicut nec invenitur domus sine fundamento; eodem ergo modo philosophandum de homine privato spe, ac de privato caritate. Adde nunc ex propositione quinguesima octava Quaesnellii, quod Nec Deus est, nec religio, ubi non est caritas; inde recte conicies, nec Deum esse, nec religionem ubi non est spes. Cum autem certum sit omnia profus salutis media deesse homini qui nec Deum habet, nec religionem, per consequentiam evidentissimam sequitur, omnia, non sensu morali & ascetico duntaxat, sed absolute, deesse peccatori, juxta Quaesnellum, quando ei deest spes.

XL. Est tamen adhuc aliud, ratione cujus propositio hac merita est censuram: videlicet, quod significet in omni peccatore deficere spem; adeoque omnia salutis media. Hoc ut probem, non est multum sudandum; sed solum supponendum, quod amor Dei, sine quo; juxta secundam propositionis partem; non datur spes, sumatur a Quaesnello pro amore caritatis: quippe juxta propositionem 44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones omnes & actiones nostrae nascuntur; amor Dei, qui omnia diligit propter Deum (& haec est indubie caritas) quemque Deus remuneratur: & amor quo nos ipsos & mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus. Porro amor, quem requirit ad spem Quaesnellus, nequit esse ille posterior, sed necessario intelligi debet prior, ut per se evidens est. Hoc supposito, cum aequae evidens sit, in nullo peccatore manere caritatem, quamdiu peccator est, sequitur nullum peccatorem spem habere salutis posse: sicque unicuique peccatori totum deest, idest omnia salutis media desunt. O crudelitatem! Peccator timendas habet inferni poenas, & eas timendo peccat, ut postea ex Quaesnello videbimus: Licet saltem sperare timent, ut August. ex Luciano canit. (5) Minime, inquit Quaesnellus: in peccatore deficit omnis amor, bonus scilicet, qui est caritas, ipsi deficit per consequens spes; totum, verbo, deest. Ex quo concludo, quod adverbium quando, gallice quand, idem hic valet ac quoniam, gallice, puisque, adeo ut sensus propositionis hujus sit hic: Totum deest peccatori, quoniam ei deest spes, quia spes non est in Deo, ubi non est amor Dei. Desperet ergo, qui cum summo timeat, nihil sperat, necesse est.

XLI. Est nunc Auctor Theologiae Supplicis, (6) & ad sensum asceticum confugiat: habet Quaesnellus ascetism novam, praecipitantem miserum peccatores in barathrum desperationis; eamque, quod diabolicum est, velitiam specie pietatis. Coarctet auctoritates SS. Thomae, Bonaventurae, imo Augustini: addat Gregorium Magnum, Zenonem Ve-

(1) De justificatione. (2) De Sacra. Penit. (3) Pag. 127. (4) I. Cor. 13. (5) Ad Gal. 1. v. 8. (6) Prologo ad lib. Josue.

(1) Pag. 128. (2) Jonae. 3. v. 5. (3) Est 44. Bajana. (4) Pag. 124. (5) In Enchirid. c. 8. (6) Theol. suppl. pag. 61.



Veronensem: percurrat omnes SS. PP. tam horribilem doctrinam nusquam inveniri: prout ipse, haud dubie, ultro fatebitur. Attamen hoc obvio sensu hujus propositionis (quidquid sit, an Quesnellus eos in animo habuerit; id enim, ut ipse admittit pag. 126. non admodum Theologi curant) ut extat in libro Reflexionum Moralium una cum aliis supra recensitis, quilibet sereno ac tranquillo animo rem expendens, necum, puto, judicabit, Interim vero medietur, quam horribilem stragem humano generi, hac Quesnelliana doctrina, nata sit inferre. Ut enim refert ex Zenone Veronensi: (1) Tolle spem, turpes humanitas tota: tolle spem, antes virtutesque omnes cessabunt: tolle spem, interempta sunt omnia: & quantum inausulto opusculo suo visus est Quesnelliana dogmata propugnare, tantum deinceps illorum falsitatem, crudelitatem, horrorem, pro sua eruditione singulari, omnibus patefaciat, memor illius: (2) Qui ad justitiam erudiunt multos, subeunt quasi stelle in perpetuas tenebras. Ad justitiam, inquit, non ad dissensionem, non ad contentiones, non ad divisiones, non ad schismata, sed ad justitiam, id est, ad concordiam, ad pacem, ad unitatem: quod breviori via consequi vix poterit, quam si, exemplo potius quam verbis, ostenderit, voci Summi Pontificis unicuique catholico esse obediendum. Neque enim, ut observatum olim fuit S. Cypriano, Epist. ad Cornelium PP. in edit. Oxoniensi 59., (3) aliunde hereses abortire sunt, aut nata schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Juxta vice Christi cogitatur. Unde Augustinus lib. 1. contra Julianum cap. 4. num. 13. Puto, inquit, tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare: cui ECCLESIE PRESIDENTEM si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Heus tu, qui Augustini discipulus affectus videri, ostende quanti magistrum illum optimum facias. (4) Porrigit ille tibi manum, quam si apprehenderit periculosam juventutem tuam, dicam an senectutem, nescio, quia te non novi: Quesnellianis laqueis exues: sufficiat tibi, non dico solum illa pars orbis, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare, quae tamen sufficere tibi deberet, si Augustini sincerus discipulus es, sed Orbis universus Catholicus, qui Quesnellum jam olim damnavit & damnat. Hodie venite porta patet, quid ferus vesper feret, aut crastinum, ignoramus. Sed est novissime veneris, & passaveris, minime profecto aperietur tibi, sed respondebitur de intus, quod non sit de Bobus, & Astinis, ceterisque juvenis insipientibus cura Deo S. Bernardus, seu potius Lanfredus Abbas in Declarationibus §. 3.

XLII. Adendum, priusquam finem huic §. faciam, Theologiam Suppl. quosdam SS. Patres, pro hac Quesnelliana, fide non bona, citasse: ac primo S. Thomam, quem dicit scripsisse, (5) quod spes & omnis motus appetitivus ex amore procedit aliquo, quo scilicet amat aliquis bonum expectatum: quae verba apparent Quesnello faventia. Attamen si recordemur Paschasium hic loqui de amore caritatis, ut ostensum est, addanturque verba S. Thomae sequentia, quae summa cum injuria S. Praeceptoris omisit Auctor iste, appareat clare S. Thomam Quesnellum eo ipso loco praedamnasse. Sequitur enim apud S. Thomam: Sed non omnis spes provenit a caritate: quae cum decisiva sint, cur omitterentur? Eadem fide, id est graeca, citat S. Bo-

naventuram, ac si diceret. (6) Amor est principium omnium affectionum. Quod est verum de amore secundum statum imperfectum... Quare nullus sperat, nisi quod amat: quae verba, ita recitata, docere videntur; quod spes Theologica non reperitur sine amore Dei: sed advertendum, quod hic combinaverit cum initio solutionis secundum argumenti, principium solutionis tertii argumenti, aliquid etiam immutando. Sic enim habet S. Bonaventura loc. cit. (7) 2. Ad illud quod obicitur, quod amor est principium omnium affectionum, dicendum, quod verum est de amore secundum statum imperfectum: sed sicut amor secundum perfectionem status est omnium affectionum principium, sic secundum suam perfectionem est omnium affectionum terminus finalis, & complementum. Unde omnes affectiones animae ad id ordinantur, ut Deus ametur perfecte: caritas autem non nominat qualemcumque amorem, sed amorem praecipuum: & ideo ex hoc non potest concludi, quod caritas secundum naturalem ordinem procedit ipsam spem. Tum sequitur responsio ad tertiam objectionem. 3. Ad illud quod obicitur, quod nullus sperat, nisi quod amat, dicendum, quod verum est: sed tamen ex hoc non sequitur quod spes caritatem sequatur, pro eo quod caritas talem addit circumstantiam super amorem, quae necessario subsequitur actum sperandi, & ejus rectitudinem, sicut prius tactum est. Ex his, & artibus Auctoris Theol. Suppl. & condemnationem Quesnellii, quilibet facile eruet. Veniamus ergo ad Augustinum. Is, inquit Theol. Suppl., illis praesertim in Enchir. c. 8. Spes sine amore esse non potest &c. Sed in promptu est solutio S. Thomae 1. 2. q. 65. a. 4. ad 3. Dicendum, quod Augustinus loquitur ibi de spe, secundum quod aliquis expectat futuram beatitudinem per merita quae jam habet, quod non est sine caritate. Sed praeter hunc actum, quem S. T. in corp. dicit perfectum, alium admittit ibidem imperfectum: Si autem, inquit, hoc expectet ex meritis quae nondum habet, sed proponit in futurum acquirere, erit actus imperfectus: & hoc potest esse sine caritate.

§. VII.

Propositiones Quesnellianae, censura notatae.

Quid aliud remanet anima, quae Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia; hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum. Est 1. Quesnell. 16. v. 3. Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio, & nisi peccatum, sine Fidei lumine, sine Christo, & sine caritate. Est. 48. Quesnell. Ephes. 5. v. 8.

XLIII. Ex praecedentibus aliquo modo patet Quesnellum docuisse, contra Concilium Tridentinum, per quodlibet peccatum, praeter caritatem, fidem etiam ac spem amitti: id ex subsequentibus propositionibus majorem accipiet lucem: ac primo ex illis, quae huic §. praefiximus. Primam tamen tueri conatur Auctor Theologiae Supplicis, se ipse, ludibrio dicerem, ni materiae gravitas extorqueret, commiserationi exponit, salvanda huic propositioni partem affundendo panni; quod nec in poeta tolerabat Horatius; (8) maculam, sine crimen clientis sui quae ostendat, non operari, multo minus eluat: quin in clientem suum sententiam damnationis profert. Ait enim initio §. 12. (9) Eodem ac

(1) Serm. de spe, fide, & carit. (2) Daniel. 12. v. 3. (3) Pamelio 55. Erasmo lib. 1. Epist. 3. (4) Caelestinus Epist. ad Episcop. Galliae. (5) 2. 2. q. 17. a. 8. (6) In 3. sent. dist. 26. a. 2. q. 3. (7) Edit. Rom. 1596. pag. 326. col. 1. (8) De arte poetica init. (9) Pag. 147.

ac superiores aquirere ludunt propositiones ille dicit: scilicet 1. & quam ei adjunxit 48. Quesnellianae: ac prout vixie explicatur, censuram merentur aus laudem. Fatetur ergo ambas propositiones sensum habere censuram obnoxium, meritoque condemnatas per Bullam Unigenitus, quae etiam capriose damnatur, esse repositas, juxta regulam nostram 2. & 10. Sed opera pretium est, videamus, quae parte putet eas laudem mereri posse. Si de peccatore ipso, inquit, & infideli (hoc peccatum additur) explicare lubeat, quod ille in habitu infidelitatis atque peccati positus, quidquid honesti videatur agere, totus tamen sit ex habitu tenebrosus, ac tenebrae ipsae; superbus, & superbia ipsa; pauper, & impotens, ac ipsa paupertas & impotentia; aperta veritas est, ab Apostolo praedicata ad Ephes. 5. Eratis aliquando tenebrae (nempe dum in infidelitate Ephesii versarentur) nunc autem lux in Domino: quia bona moraliter opera, si quae forte Ephesii tunc ederent, infidelitatis tenebras non depellebant. Hac ille.

XLIV. Dixi, peccatum addi: Et infideli: quia in neutra propositione agitur specialiter & restricte de infideli, sed de quocumque mortaliter delincente. De prima id constat ex terminis istis: Quid aliud remanet anima, quae Deum atque ipsius gratiam amisit &c. Gratia non amittitur, nisi prius habeatur: nec haberi potest, nisi per fidem. Gratia amittitur quocumque mortali, sed non incurritur similiter infidelitas. Secunda vero propositio de illis quidem agit qui sunt sine Dei lumine, sine Christo, insuper tamen addit etiam eos, qui sunt sine caritate: ac de omnibus illis dicit, aliud non esse, nisi tenebrae & aberratio, & nisi peccatum: cur ergo restringit propositiones, de se vagae & universales, ad solos infideles? Nimirum, sine hac restrictione, non poterat eas dicto Pauli Ephesii (2) (quibus jam dixerat: Eratis illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & SINE DEO in hoc mundo) scribentis: Eratis aliquando tenebrae, justificare. Quid enim, si idololatras tenebrae dicitur, an propterea omnis peccator tenebrae dicitur est? Minime. In peccante mortaliter, & amittente gratiam sanctificantem, potest manere fides, quae lumen est; potest spes superare de divina misericordia; quibus excitetur homo ad laborandum contra vitia, ad orandum pro perfecta sui ipsius conversione, ad peccata sua elemosynis, juxta Danielis (3) consilium, aliisque poenitentiae operibus redimenda. Non ergo tenebrae dici potest, eo sensu, quo Apostolus Ephesios tenebras fuisse scribebat: At enim Quesnellus de quocumque peccatore effluit, quod Paulus de idololatris scripsit. Quae ergo veri specie dici potuit, propositiones illas apertam veritatem a Paulo praedicatam continere? Paulus non dubitat de Ephesii scribere, Nunc autem lux in Domino. Sciebat forte Paulus omnes illos peccato mortali liberos esse? Audi quid dicat: (4) Si tamen illum audistis, & in ipso edocli estis sicut est veritas in Jesu, deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestrae &c. Hoc tamen non obstantibus dubio, minime dubitat eos compellere nomine lucis: Nunc autem lux in Domino. Hoc ergo dixit ratione fidei in Deum & Christum ejus, quae eis annuntiata fuerat, quae lux est, quae dat potestatem filios Dei fieri. Jam vero Quesnello, etiam infideles, qui Deum ejusque gratiam mortaliter delin-

Serry Tom. V.

quando amifere, quid aliud esse possunt nisi tenebrae, aberratio, & nisi peccatum? Quid illis remanere potest nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est GENERALIS IMPOTENTIA AD OMNE OPUS BONUM, nedum ad amissam gratiam salutaris poenitentiae recuperandam.

XLV. Sed Paulus, inquit Theol. Suppl. dicebat Ephesios tenebras fuisse, quia bona moraliter opera, si quae forte Ephesii tunc ederent, infidelitatis tenebras non depellebant: ex quo subintelligendum relinquit, quemcumque peccatorem, recte tenebras vocari, quia similiter opera ejus moraliter bona, si quae forte edat, peccati tenebras non depellant. Sed hac glossa, praeterquam a mente Pauli longius abscedat, nova aperit motiva, ob quae justissime, Quesnellianae Theses damnatae sunt. Abscedit a mente Pauli; quia si propterea dicat eos tenebras fuisse, quod opera eorum moraliter bona, non valent tenebras infidelitatis dispellere, debuisse eos etiam tum tenebras, aut saltem non asseveranter lucem appellare in Domino, de quibus dubitabat, an edocli essent deponere secundum pristinam conversationem veterem hominem: quo non deposito, non poterant eorum opera moraliter bona tenebras peccatorum depellere. Tenebras ergo debebat dicere eos esse; aut saltem dubitare si tenebrae aut lux compellendi forent, secundum illam glossam: quod cum non fecerit, sed absolute, Nunc autem Lux in Domino dixerit, manifestum est glossam illam praeter mentem esse Apostoli. Deinde, an quilibet peccator fidelis, nihilo plus quam Ephesii in infidelitate versantes, potest effecere? Ergo vel perduntur omnes habitus supernaturales, quolibet peccato, vel nullus eorum habet aliquem actum sine caritate, quae meritissime damnata esse, nemo catholicus diffidet. Adde quod glossa illa admittat in infidelibus opera moraliter bona: at propositiones Quesnellianae in quolibet peccatore generalem impotentiam ad laborem, ad orationem, ad OMNE OPUS BONUM; nihil nisi tenebras, aberrationes, nihil nisi peccatum admittunt: ex quibus consequens est, omnia quocumque peccatoris opera, veri nominis peccata esse, quod erroneum & in Bajo damnatum esse Auctor Theol. suppl. ultro fateatur. (5)

XLVI. Igitur advocatus vel patrocinator clientem suum hic turpiter prodit, suggerendo nobis motiva, ob quae justissime ostenditur esse condemnatus & condemnandus ab omni Romano Catholico: scilicet, quia revocat errores in Bajo condemnatos, de operibus infidelium, quod peccata sint: quia privat omni actu habitus supernaturales fidei & spei, dum sunt a charitate separati: melius dicam: quia non obscure docet omnes supernaturales virtutes, fidem, spem, charitatem quolibet peccato mortali amitti, quod est a Tridentino anathemate damnatum. [6] Hac fors est advocatorum malorum caularum, ut oleum & operam perdant, & clientes non sublevent. An deerant iusta causa, quibus operas suas addiceret? Cur non potius Ecclesiae, matris suae, quae eum genuit, lactavit, nutrit, causam contra petulantiam novatuentium ingenia assumpsit defendendam? Deus det mentem meliorem. Sed ad Quesnellianas revertamur. Igitur, si propositiones has quoad actum sumas; quatenus significant, omnia opera peccatorum esse peccata, siue quoad habitum, id est, quod peccator quilibet nullum habitum in bonum inclinabilem sibi retineat, eo ipso quo Dei gratiam amittit, qui sensus sunt naturales & obviis harum propositionum, utraque vere damnabilis est, S. f. & me-

(1) Pag. 41. & 45. (2) Cap. 2. v. 12. (3) Cap. 4. v. 24. (4) Cap. 4. v. 21. (5) Pag. 148. (6) Sess. 6. can. 24.